



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

1. Quòd iudicium politicum sit opus Dei, & ab illo ordinatum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

2. *Quòd fieri debet rectè & iustè, non ex favore aut precij causa, sed propter veritatē & ipsum Deum.*
3. *Qua sit punitio falsorum iudicum & procuratorum.*

Dixit Moyses filijs Israel Deuter. 1. Iudicium Dei est, id est, loco Dei fit, & à Deo est ordinatum. Nam Deus cōstituit potestatem, & dedit ei gladium, Roma. 13. vbi ordinavit & instituit iudicia, eaquē approbavit. Iudex igitur est loco Dei, & ipsius gerit vices: Itē, procurator ex parte hominis causam perorat coram iudice, est quoq; minister iustitię, seruiēs ut veritas & iustitia vincant, ut tutentur orphani & viduę. est itaque vterq; Dei minister. Matth. 5. Beati pacifici, id est, qui procurant pacem & iustitiam, nam filij Dei vocabuntur. Et quoniam iudicium Dei est, debet quoq; esse Deo conforme in tribus, potestate, veritate & bonitate, id est, ut iudex cogitet se non humana, sed Dei potestate exercere iudicium. 1. Petri 4. tanquā ex virtute, quam Deus administrat. Romanorum 13. Omnis potestas à Deo est: deinde ut fiat in veritate, quia Deus verax est, Romanor. 3. Qui odit omnem dolum & fraudem, maximè in opere & officio suo, quia iudicium opus Dei est. Porro in bonitate fieri debet, quia Deus bonus est, & opera eius lucent misericordia. Matth. 6. faciens Solem oriri super iustos & iniustos.

Secundo, Deuter. 16. dicitur: Iudices & magistros constitues in omnibus portis, ut iudicent populū iusto iudicio, nec in alteram partem declinent: non accipies personas, neq; munera, quia munera excecant oculos sapientum. Et Numer. 11. dicitur Moysi: Congrega senes populi, quos tu nosti quòd senes sint populi